DECAN

ORDINIS PHILOS

IN

ACADEMIA VVITTE

CHRISTIANVS SI

GEORGI

PHILOL. PROF. PVBL. ORDIN

ET IMPERIALI AVCTORITATE

H. T. COMES PALA

PHILOSOPHIAE ATQVE ART

CANDIDAT

S. P. D

Cat. II.

NVS
ILOSOPHICI

TTEBERGENSI

S SIGISMVND

GIVS

ORDIN. PHIL. ASSESS

ITATE CONSTITVTVS


ALATINVS

E ARTIS POETICAE

DATIS

D

85





iuinum *Cantici Canticorum* oraculum, *cap. II, 1,* his uerbis expoſitum, אני חבצלת השרון שושנת העמקים expoſitu eſſe admodum difficile, omnes aſſentientur, qui, tum uocum quarundam Hebraicarum ſignificatus dudum amiſſos, nec huc uſque reſtitutos, tum tot interpretum diſſenſiones, eſſe, quot in eo leguntur uoces, non ignorant. Diſceptant enim illi, quis uoce אני intelligendus ſit, dum Iudaei, Paraphraſten Chaldaeum ſecuti, populum Iſraeliticum hic de ſe loqui, exiſtimant, Chriſtianorum uero gens in duas abit partes, quando altera cum GREGORIO NYSSENO, GENEBRARDO, VATABLO, OSIANDRO, ceteris, ſponſam, ſiue Eccleſiam, intellectam uult, altera uero cum ORIGENE, CYRILLO, AMBROSIO, BERNHARDO, LVTHERO, GERHARDO, CALOVIO, reliquis, ſentit rectius, ſponſum eſſe, his munita argumentis, quod in proxime antecedentibus ſponſa iam iam locuta fuerit, nec haec uerba cum uerbis ſponſae cohaereant, deinde in iis quoque, quae

immediate conſequuntur, uerbis, ſponſa ſponſum excipiat, adhaec decoro ac uirtuti ſponſae non conuenire uidetur, ut formae ſuae elegantiam ac uirtutes extollat, quae ſponſo depraedicanda erant. Diſceptant porro interpretes, quae ſit uera nominis חבצלת notio, cum quo ſponſus ſeſe confert. Cum enim duobus ſaltem in locis ueteris Inſtrumenti occurrat, ipſique Hebraei ignorent, quae natiua eius ſit uis ac ſignificatus, uix, eum accurate elici poſſe, uidetur, niſi, quod ex hoc aeque loco noſtro, ac *Ieſ. XXXV, 1, 2,* colligi queat, floris nomen eſſe pulcherrimi, qui in Saronis cummaxime campis floruit, quem, poſt alios, *roſam*, florum reginam, eſſe, ROSENFELDIVS erudite propugnat, MVNSTERVS uero *lilium*, BOCHARTVS *narciſſum*, SYRVS, eundem florem denotare, autumauit, quem שושנה ſignificat, dum uoce ܫܘܫܢܐ eum uertit, in qua ſententia Chaldaeus etiam fuiſſe creditur, dum locum *Ieſaiae*, paulo ante excitatum, per שושניא reddidit, LXX denique interpretes uoce generali ἄνθος expreſſere, quam explicationem b. LVTHERVS in Verſione, utpote tutiorem omnium, comprobauit ſapiens. Diſceptant amplius, quis qualisque שרון locus fuerit. LXX interpretes πεδίον *campum* conuertunt, quos ſequitur VVLGATVS aliique, alii, praeeunte PSEVDOABDIA, ſtatuere, שרון urbem fuiſſe, Lyddae, in tribu Ephraim, uicinam, ROSENFELDIVS Gaditarum *Saronem*, ſiue planitiem fertiliſſimam, in tribu Gad ſitam, intelli-

telligendam propugnat, a quo diſſentiunt tamen HIERONYMVS, RELANDVS, MARINVS, reliqui, qui, uoce Saronis omnem circa Ioppen Lyddamque appellari, aſſerunt, regionem, in qua latiſſimi campi fertilesque. Poteſt ſententia, regionem fuiſſe, probari ex *Ioſ. XII*, *18*, in quo loco Regis, לשרון *ſuper Saronem* regnantis, fit mentio, *τὸ* ל enim non urbem, ſed regionem, indicare, contextus ſuadet, lectorem edocens, praefixum ל ſolis, h. l. regionibus, ut *u. 22*, *Rex Iokneamae* לכרמל *ſuper Karmelum* regnans, *u. 23*, *Rex gentium* לגלגל *in Gilgal* prouincia habitantium, praemitti, non uero urbibus, quemadmodum hoc diſcitur ex *u. 9*, *ſeqq*. *Ioſuae* loco iungatur Ieſaiae *cap. XXXIII*, *9*, qui, dum montes amoenos et regiones fertiliſſimas refert, in ipſis ipſam *Saronem* recenſet, componantur, *1 Chron. XXVII*, *29*, *Ieſ. XXXV*, *2*, *LXV*, *10*. Regionem igitur fertiliſſimam fuiſſe *Saronem* ac floridam certo eſt certius, ſed, ad quamnam Saroniticam terram reſpiciatur, utrum quae trans, an cis, Iordanem ſita fuit, in dubio eſt, nec facile ſoluet quaeſtionem quiſpiam, cum pro utraque opinione militet probabilitas, certitudo uero deſit. Nobis ſufficiat, noſſe, tractum Saroniticum, florum copia ac pulchritudine redundaſſe, in iisque florem, חבצלת dictam, eminuiſſe, ut et alterum, שושנה appellatum. Sed, quis ſit ille flos, aeque diſceptant. SYRVM, CHALDAEVM, KIMCHIVM, alios, utrumque pro uno eodemque habuiſſe flore, *roſa* puta, creditur, ut ſenſus ſit, *ego ſum roſa Saronis*, et quidem, *roſa*

ualli.

uallium, non montium, quia, ut *Auctor Notarum ad Precum Judaicar. librum* ſcribit, שושנת ההר נוחה לכמוש אלא שושנת העמקים היא מרטבת; *Flos montis facile flacceſcit, ſed flos uallium humidus eſt*, nec facile marceſcit. LXX INTERPRETES, AQVILA, SYMMACHVS, HIERONYMVS, ABENEZRA, CALOVIVS, ROSENFELDIVS, reliqui, *lilium* uertunt, PARAPHRASTES contra Chaldaeus, b. LVTHERVS, MARINVS, REVCHLINVS, MVNSTERVS, reliqui, *roſam* interpretantur, quibus ſignificatibus tertium addit IO. BVXTORFIVS, quando, *roſam*, *lilium*, *florem*, denotare, affirmauit. Et, quodſi locos Scripturae S. euoluamus, in quibus uox שושן uel שׁוֹשַׁנָּה occurrit, certiores ſane nos faciunt illi, tres dictas notiones nomini noſtro ineſſe. Floris enim ſignificatio, ſiue ſint roſae, ſiue lilia, ſiue alius generis, obſeruatur, *1 Reg. VII, 22, Cant. II, 16, IV, 5, VI, 2, 3*, liliorum notio locum habet, *1 Reg. VII, 19, 26, Cant. VII, 3, Hoſ. XIV, 6*, roſae uero ſignificationem exhibet *Cant. V, 13*, in quo, labia cum roſis, non cum liliis, conferri, recte dixeris. Quae cum ita ſint, ualde omnino dubium eſt, quodnam florum genus hic indigitetur, niſi quod ueterum aeque, ac recentiorum, interpretes plerique pro lilio pugnent, argumentisque, ſpecioſis omnino, ROSENFELDIVS probauerit, cui ſententiae et nos facile accedimus, hoc tamen contra ROSENFELDIVM, alioſque, obſeruato, non iſtam liliorum

ſpe-

speciem hic intelligi, quae *conuallium*, Mayenblumen, uulgo dicitur, sed magnifica illa candidaque lilia, quae, proceritatis elegantia florumque ornatu, in se omnium conuertunt oculos. Quis enim humile istud florum genus hic intelligeret, cum sponsus de pulchritudine, magnificentia, et gloria, non de humilitate, sua, hic loquatur. Si enim de humilitate sponsi sermo esset, rosam illam, quam uulgo HieruntICAM dicunt, et ego ipse possideo, ob singulares mirabilesque floris huius rarissimi uirtutes et praerogatiuas, quibus reliquis praecellit floribus, et ob conuenientiam, respectu Messiae, typicam, intelligere mallem. Verum, excipit ROSENFELDIVS, Ecclesiam, siue sponsam, per שושנת העמקים adumbrari, locum nostrum uertens his uerbis, *Ego* sum *rosa Saron* cum *lilio conuallium*, uel iuxta, apud, *lilium conuallium*, siue, *Ego* sum *rosa Saron*, tu, uel illa, scilicet sponsa, aut socia mea, es *lilium conuallium*. Vt uero priorem opinionem accentus Sakephkaton non admittit, qui, quo minus *cum*, uel *iuxta*, subintelligi possit, impedit, dum propositiones distinguit, ita, posteriorem, argumentis nondum probatam, licentia potius uertendi, quam ueritate, inniti, uidetur. Nec argumenti uim habet ratio, quam allegat, quia in sequenti uersu sponsa שושנה appelletur, cum nota res sit et probatu facilis, sponsum sponsamque saepe uno eodemque efferri laudis ornatusque genere ac nomine, diuerso licet respectu. Idcirco receptam probamus interpretationem, qua sponsus, שושנה se uocasse, dicitur, et quidem שושנת העמקים

Qua

Qua uoce non humilitas, nec I
patriis, crescerent lilia, sed nut
les humidae sunt ac fertiles, iiq
ne, proceritate, et pulchritud
nec facile marcescant, ut su
lunt, qui uel in planitie, uel
haec sufficiant de liliorum r
sias, sponsus, semetipsum a
milauit, quando ad Vos orati
rum rosarumque instar, in F
tutum genere, hactenus floru
pla et musea compleuistis, ipsu
nubium cum ipsa inire Vobiscu
VIRI REVERENDI, et ad
spes patriae optima, me co
rosarumque habetis indolem
uirtute clari estis, infelix
siue, qui bardi sunt et Bauii
abesse iubeo, diem festum e
bris, indico, quo connubiu
nubiique coronam, sudoris
ta, accipere poteritis. Vale

P. P. VVittebergae Saxo
tione Mariae no

cIↄ Iↄ

as, nec locus, ac si in uallibus, quasi in locis
, sed nutrimenti copia indicatur, quia ual-
tiles, iique, quos gignunt, flores pinguedi-
lchritudine saepe, cum succi pleni sint,
, ut supra dictum est, reliquis antecel-
tie, uel in montibus, crescunt. Atque
orum rosarumque floribus, quibus Mes-
psum aeque, ac Ecclesiam, sponsam, assi-
os oratio nostra dirigenda sit, qui, lilio-
tar, in Ecclesia et Republica, uario uir-
nus floruistis, eruditionisque odore tem-
istis, ipsumque, σοφίᾳ desponsati, nunc con-
e Vobiscum constituistis. Ad Vos igitur,
DI, et ad TE, iuuentutis flos ornatissime,
me conuerto, Vobisque, qui liliorum
indolem, h. e. qui fama, eruditione, et
nfelix enim lolium et auenae steriles,
et Bauii, ab his sacris quam longissime
stum et solennem, qui est XVII Octo-
nnubium felicissimum celebrare, con-
udoris uestri praemium, a me, brabeu-
. Valete, et conatibus nostris fauete.
e Saxonum, ipso festo, quod a Visita-
riae nomen habet, A. R. S.

clɔ Iɔ cc XLIIX

